



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi Thomae

Cvm Variis Indicibus

De Deo Effectore, Creaturarvm Omnium Tractatus II. De Opere Sex
Diervm, Ac Tertivs De Anima

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1622

V. An & quomodo anima separata se cognoscat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93575](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93575)

confusè id præstaret, atque adeo de facto anima pueri decedentis in originali, sub ea imperfectissima conditione in perpetuum relinqueretur, cum Deus nihil gratuitum illi conferat, sed tantum ea, quæ naturalia sunt. Præterea, licet status ille sit aliquomodo præter naturam animæ, tamē absolute sequitur ex conditione ipsius. Quia enim anima, & forma est subsistens, & corporis corruptibilis, necessariò manere debet aliquando separata, & cum necesse sit hominem corrumpi, imò diutius manere separata, quā in corpore naturaliter loquendo: est autem inconueniens, q̄ pro statu breuissimò habeat anima naturalem modum, acquirendi species, & non pro diuturno statu separationis: ergo, &c.

2. *Quomodo anima separata non sit species comparata.* Scoti, & Ga. br. opinio, & ratio.

Confirm.

Impugnatur Scotus.

3. *Opinio aliorum D. Th.*

4.

tra hanc sententiam. Prima est, quia hic loquimur de anima secundum ordinem naturalem, non de his, quæ Deus circa illam potest supernaturaliter operari: hæc autem infusio specierum, quæ dicitur fieri à Deo, non videtur naturalis esse, sed ex libera voluntate Dei pendens, atq̄ adeo supernaturalis, & gratuita. Secunda: quarum nam rerum infundantur species animæ in puris naturalibus existentibus: seu in beatitudine naturali? Ac de facto habet locum difficultas in puero decedente in originali: nam licet in pœnam sit carentia visionis Dei, attamen aliam non habet pœnam, & aliàs habere potest omnem perfectionem naturæ consentaneā. Tertia, an fiant dictæ species immediatè à Deo, vel medijs Angelis. Quarta, quomodo anima intelligat per illas.

Ad primam respondet, ad naturalem Dei prouidentiam spectare, & infundat animæ separatae necessarias species ad cognoscendum naturaliter, adeoq̄ illam infusionem supernaturalem non esse, sed intra ordinem naturæ contineri, sunt eiusdem animæ infusionem in corpus, q̄ probat illa confirmatio Scoti, quia aliàs male esset prouisum animæ nostræ, si nec ab intrinseco esset in actu primo constituta, nec secundum naturalem ordinem posset ab aliquo agente in actu primo constitui ad operandum. Adde naturalem rerum ordinem esse, ut superiora iuuēt inferiora, & præcipuè q̄ vnaquæque res iuuetur ab auctore suo, & ab illo recipiat complementum necessarium. Dices: si hoc naturale est recipiet etiam anima damnata influxum specierum, cum Deus non denegat prouidentiam naturalem. Respondendum, in pœnam peccati, posse Deum illam perfectionem naturalem non tribuere, satis enim esse non auferre naturalia, quæ semel contulit. Secundo respondendum, forte recipere species ad maiorem certe pœnam. Reliquæ difficultates soluentur melius in sequentibus.

CAP V T V.

An, & quomodo anima separata cognoscat se.

Quod anima separata cognoscat seipsam aliquo modo, certissimū est. Nam si in hac vita dum est corpori immersa id potest, melius poterit separata, & à corpore non impedita, quin potius quod non tantum vtrunque, sed etiam quod intus, & quidditatiuè se cognoscat, videtur satis credibile, primo, quia in eo statu nihil est, quod animæ impediat cognitionem. Secundo, quia inconueniens est animam semper habere naturale desiderium se cognoscendi perfecte, quod illi impossibile per naturam complere. Tercio, quia animæ essentia, & perfectio est limitata, comprehensibilis, que ab intellectu creato: ergo etiam à proprio intellectu. Nam rationabile est, ut virtus intellectiua adæquetur perfectioni ipsius animæ: licet enim, & Deus se comprehendit, quia intellectus diuinus adæquatur suæ essentia: infinitæ: habet ergo intellectus noster sufficientem virtutem naturalem ad intelligendum perfecte animam ipsam, atque adeo inconueniens est, potentiam hanc semper otiosam manere, nec in actu reduci posse: ergo naturaliter loquendo anima potest se dicto modo cognoscere: ergo maxime separata poterit.

Quapropter hoc supposito, ut probabiliori, difficultas relictæ de modo, quo anima separata se cognoscat. D. Thom. i. p. q. 87. docet non cognoscere se per speciem aliquam sui, sed per substantiam suam, quod est difficile: intellectus enim noster est in pura potentia, & non est de se constitutus in actu primo ad cognoscendum alia: ergo anima separata non potest se cognoscere, nisi eius intellectus

1. *Difficultas contra opinionem D. Thomæ*

Secunda.

Tertia.

Quarta.

5. *Prima difficultas enodatio.*

Infinita dupliciter remouetur.

Quid de aliis difficultatibus.

1. *Anima separata se cognoscat etiam quidditatiuè.*

2. *Modus se cognoscendi, ut explicatur à D. Thom. Arguitur contra hunc modum.*

de qua infra. Iuvatur porro data solutio ex multis, quae supra diximus lib. 4. c. 7. de modo intelligendi animam in corpore, ubi reddidimus rationem huius colligationis, quam intellectus cum sensibus habet in vita mortali.

CAPVT VI.

Quomodo anima separata intelligat Deum, & res alias immateriales.

cum anima per essentiam possit cognoscere rationem communem, per illam etiam poterit cognoscere omnia singularia. Argumentum tamen procedit in opinione negantium species singularium, & ideo dixi superius maius in hoc dubium esse, ac tenta opinio. De D. Thomae in nostra enim antecedens falsum est, ut patet ex lib. 4. c. 3. Sed & in opinione D. Thomae dici posset argumentum non procedere: antecedensque habere verum, quado vniuersale cognoscitur per speciem abstractam à phantasmate rei singularis, quia in ea specie vniuersale representatur abstracte, per quam fortasse non possunt secundum D. Thomam cognosci omnia singularia, sed illud tantum, ex cuius phantasmate fuerat abstracta. Quo certe modo anima separata per essentiam suam non potest alias animas in particulari distincte cognoscere, ac videtur colligi ex quaestione de Anima a. 12. ad 4. q. de alijs intelligentijs maiori ratione erit philosophandum, anima enim per suam essentiam cum maxime potest arguitur cognoscere habere se in finem locum in intellectualibus, in eoque incompletum esse fortiori, atque inferre ad perfectionem vniuersi pertinere tales substantias dari, non tamen cognoscere valeret per substantiam suam distinctius aliquid de intelligentijs: ad id ergo peculiare species erunt necessariae.

Dilucidat.

Diximus iam quomodo anima separata se cognoscat, quoniam cognitio sui est prima operatio naturalis in vnaquaque re spirituali. Nunc est videndum, quomodo alia à se cognoscat, quomodo item Deum, & substantias alias immateriales, siue Angelos, siue animas separatas. Supponendum verò est, animam separatam cognoscere aliquid Deum, & substantias alias separatas, quia id evidens est: inquisimus autem modum, quo alias cognoscit. Sit ergo prima conclusio, Anima separata per suammet essentiam cognoscit Deum, sicut cognoscit seipsam: loquimur porro in hoc capite de cognitione, quam anima habere potest ex propria natura: non de illa, quam Deus infundere valet. Anima ergo per naturalem scientiam nequit Deum cognoscere per illius essentiam increatam, quia haec est supernaturalis cognitio, quae per solam gratiam habetur: cognoscit ergo illum per sui essentiam. A posteriori probatur consequentia, quia naturale est, cognitio effectus deuenire in cognitionem causae, sed anima est effectus Dei, siue separata cognoscit eundem, & comprehendit, atque adeo esse se creaturam producibilem per creationem: ergo cognoscit per se creatorem suum. Confirmatur: nam anima non tantum est effectus, sed quaedam non vulgaris imago, & similitudo Dei: anima ergo se intrens intuetur quandam Dei similitudinem: ergo per illam cognoscet Deum saltem imperfecto modo. Verum est tamen animam non tantum per se, sed etiam per cognitionem aliarum creaturarum, & praecipue animarum, atque Angelorum posse Deum cognoscere, cum aequaliter de eis procedant rationes factae. An verò naturaliter loquendo posset anima separata habere maiorem aliquam Dei cognitionem tributam illi à Deo speciali providentia naturali, in qua eius beatitudo naturalis confisteret, alia quaestio est, quae ex multis principijs alterius loci proprijs pendet.

Secunda conclusio. Anima separata cognoscit Angelos, & alias animas per species illorum, non tantum per essentiam ipsius animae. Videtur esse contra D. Thomam q. 89. art. 2. in corpore, ubi ait animam separatam habere cognitionem aliarum animarum, & Angelorum per modum substantiae suae, sed verè non est contra illum. Nam ad secundum docet, animam separatam intelligere Angelos per similitudines diuinitus impressas: de alijs verò animabus nihil docet. Pro intelligentia ergo conclusionis recolendum, animas separatas eiusdem esse inter se species, cum Angelis verò conuenire solum in gradu essendi, illumque non habere completum: atque hinc nasci quod ipsa anima ex vi cognitionis, quam de se habet, valeat alias animas quoad vtriusque communem & essentialem rationem quidditative comprehendere, cum eadem sit, & in omnibus alijs ratio. At quod alias animas in particulari distincte cognoscat, non potest per essentiam suam: quippe quae non representat illi propriam singularitatem aliarum animarum, sed illam tantum communem rationem. Unde necessarii indiget proprijs speciebus representantibus singulas animas. Dices. Per speciem vniuersalem potest anima separata cognoscere singularia: ergo

Franc. Suarez de Anima.

Instabis, non oportere, ut anima habeat distinctam cognitionem singularium animarum, nec perfectionem cognitionem intelligentiarum, ideoque speciebus non egere. Vel certe instabis alius, licet habeat eam cognitionem animam, non indigere tamen speciebus, quia quamlibet animam, & intelligentiam potest per propriam illius substantiam cognoscere, sicut se cognoscit per suam, cum par sit ratio: nam omnes eiusmodi substantiae actus sunt intelligibiles. Ad primam instantiam responderetur, assumptum non esse verisimile. Primum, quia anima cum rationalis sit ex natura sua, est etiam sensibilis, habet autem consortium cum alijs animabus, & cum intelligentijs: ergo necesse est, habeat propriam cognitionem illarum, atque adeo proprias species earundem. Secundo, quia anima ex se habet lumen sufficiens ad perfectiorem cognitionem animarum, & Angelorum, quam sit illa communis, & confusa: ergo est illi naturale habere species, quae illi luminis adaequantur: alias superfluum esset tale lumen, sicut cognitio Dei per essentiam, non est quidem animae naturalis, eo quod non habet lumen naturale sufficiens ad illam cognitionem, tamen naturale est animae, ut habeat medium sufficiens ad cognoscendum Deum tam perfecte, quantum suo lumine naturali potest assequi. Ad secundam instantiam responderetur, manasse opinionem illam ex Durando dist. 3. q. 6. dicente Angelum quolibet cognoscere alium per essentiam eius, quae opinio falsa est, ut in 1. p. q. 56. a. 2. tractatur. Ratio verò inde sumitur, quia substantia finita non potest per se vniri intellectui alterius, nec actuare illum, cum illo concurrere, id enim soli Deo tribuitur propter suam infinitam virtutem, de quo etiam à nobis difficile satis intelligitur. Adde nos à sensibilibus ad intelligibilia ascendendo debere proportionaliter loqui: cum ergo res actu sensibiles non per se moueant sensus, sed per species, sic & intelligibiles non per se, sed per species intellectum ab eis diuersum mouere poterunt. Denique, quia anima separata non intelligeret aliam animam, quoties vellet: sed tunc solum cum vellet ipsa intelligenda ei vniri, qui sane ordo rectus non esset: intelligit ergo substantias immateriales per species earum.

Unde verò habet anima tales species: Communiter responderetur habere per infusionem à Deo, quod insinuat D. Th. supra, probabiliter etiam dici

Instantia una. Altera.

Ad instantiam.

Ad secundam. Vide auctorem in 2. lib. de angelis cap. 5.

Lib. 2. de attributis. negat. cap. 12.

4. Habent ne anima species?